

446


E

136





Microfilm  
Beeldmerk  
KIB



DISSERTATIO JURIDICA<sup>kw</sup>  
PRIMA  
DE

4468736

CAUSIS OBLIGATIONUM.

*Quam*

FAVENTE DEO T. O. M.

SUB PRÆSIDIO

D. JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII J.U.D.

Ejusdemque Facultatis in Illustri DUCATUS

GELRIÆ & COMITATUS ZUTPHANIÆ

Academia, quæ Harderovici est

Professoris Ordinarii.

*Publicæ Disquisitioni subjicit*

MELCHIOR WILHELMUS à GRIETHUYSEN

Arnhemio-Gelrus.

*Ad diem 13. Apr. horis locoque solitis.*



Koninklijke  
Bibliotheek  
te 's Gravenhage.

HARDEROVICI,

Apud ALBERTUM SAs, Academiae Ducatus Gelriæ  
& Comitatus Zutphaniae Typogr. clō lōc xcix.

FAUTORIBUS

ATQUE

AMICIS

*Hanc Dissertationem Juridicam eo quo  
par est animo*

D. D. D.

MELCHIOR WILHELMUS à GRIETHUYSEN

*Respondens.*

DISSERTATIO JURIDICA,  
PRIMA

DE

CAUSIS OBLIGATIONUM.

PROLOQUIUM.



Quod si magna est Utilitas Actionum in Rep. & Necessitas, uti sane, teste imprimis Experientia omnium rerum optima magistra, est maxima, non potest non simul Utilis & Necessarius esse Actionum intellectus. Ut adeo nunquam digna satis referri possit gratia iis, qui in investigandis & exponendis Actionibus laudabilem posuere operam. Cum vero non minimam Actionum partem constituent istæ, quæ in Personam conceptæ sunt, Actiones autem in Personam ex Obligationibus nascantur §. 2. l. de Act. l. 25. ff. de Obl. & Act. l. 42. §. 2. ff. de proc. l. 2. pr. ff. mand. earumque Causæ non satis manifestæ sunt, non indignæ singulari Dissertatione, (qua in eas paulo accuratius inquiratur) CAUSÆ OBLIGATIONUM visæ sunt.

CAP. I.

§. 1. Inter multas variasque Causarum significationes, I celebris illa est, qua Causa pro Efficienti (quam multi omnium Causarum præcipuam esse censuerunt) ponitur.

§. 2. Quam ita describit Plutarch. de Placit. Philos. lib.

A 2



*lib. I. c. II. αἰτίον ἐστὶ τὸ ἀποτέλεσμα, ἢ δι' ὃ συμβαίνει τι.*  
 i.e. *Causa est ex qua effectus, vel propter quam contingit quid.* nec non *Cic. de Fat. §. m. 34. Causa est quæ id efficit cujus est causa; ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris; Itaque non sic causa intelligi debet, ut quod cuique intercedat ei causa sit, sed cuique efficienter antecedit: Item §. 36. Nulla igitur earum causa est, quoniam nullam rem sua vi efficit, cujus dicitur causa, nec id sine quo quidpiam fit causa est, sed quod cum accessit id cujus causa est efficit necessario.* De qua etiam *Virgil. lib. 2. Georg.*

*Felix qui potuit rerum cognoscere causas.*

§. 3. *Eaque significatio hujus maxime loci est.*

§. 4. *Obligationis vocabulum ab Obligare descendit, quod ex ob & ligare est compositum, & proprie nihil aliud est quam circumligare, adstringere, constringere; Columell. Lib. 11. de Re Rust. c. 2. Bonus operarius prati jugerum desecat, nec minus mille ducentos maniplos obligat. Cic. Lib. 1. Rhetor. ad Heren. Lex, Qui parentem necasse judicatus erit, is obvolutus & obligatus corio dejiciatur in profluentem. Idem Lib. 3. de Natur. Deor. §. 57. Æsculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicitur. &c. In quem sensum & Plaut. Menæch. Act. 5. Scen. 3.*

*Ait se obligasse crus fractum Æsculapio  
 Apollini autem brachium.*

*Quod & innuit Festus in voc. obnectere dum ait, (ad morem obnubendi, unde & Nuptiæ dictæ, respiciens) Obnectere. obligare. maxime in nuptiis frequens est.*

§. 5. *Unde translate τὸ obligare significat quocunque modo devincire. Hinc obligari beneficio, liberali*

*ralitate, fœdere, religione, sponsione, & similia, frequenter occurrunt. Hinc obligatus fundus dicitur qui pignori est appositus. l. 45. §. ult. l. 57. ff. de legat. 1. Hinc Lege obligari dicitur qui in legem committit l. 30. ff. ad L. Corn. de Fals. l. 52. ff. de O. & A. Hinc denique Obligatus in genere dicitur, qui ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum adstrictus est. l. 25. ff. de O. & A. §. 1. l. de act. add. l. 3. ff. de O. & A. §. 6. Eoque sensu Obligatio, in legibus nostris, Juris Vinculum quo ad aliquid præstandum adstringimus, fere significat. pr. l. de Obl. d. l. 3. ff. eod.*

§. 7. Et in genere quidem omne *Juris Vinculum* denotat, ut & *Jus in re* comprehendat. Sic *res* dicuntur *hypothecæ obligatæ*. l. 4. ff. de pign. Ubi additur, *Neque ad rem pertinet, quibus verbis fit, sicuti est & in Obligationibus quæ consensu contrahuntur.* add. l. 5. ff. eod. l. 41. l. 1. §. 1. ff. de pign. act. Sic & aperte *Imp. in.* §. 5. l. de exc. Item si in *judicio actum fuerit, sive in rem, sive in personam, Obligatio durat.* Obligatio enim ibi in sensu latiori potius, quam ut pro *Obligatio cum Bachov. De Action. Disp. 1. th. 13.* legamus *Actio*, accipienda videtur.

§. 8. Late autem accepta *Obligatio* eam significat quæ ex *Contractu* oritur vel *Delicto*, vel ex *variis causarum figuris.* l. 1. pr. ff. de O. & A. §. ult. l. de Obl. ex qua *Actiones* nascuntur *in personam.* l. 25. ff. de O. & A. §. 1. l. de Act.

§. 9. Quin & stricte accipi potest, pro ea sola, quæ ex *Conventionione* descendit. Vid. *Bockelm. tr. de Act. Cap. 3. p. 7. §. 3.*

§. 10. Sed lata significatio magis frequens est, eo-que sensu *Obligatio* hic accipienda.

§. 11. Cum vero omnis *Obligatio Juris* sit *vinculum*, *Jus* omnium *Obligationum Causam remotam* esse nemo non intelligit. Nulla enim *Obligatio* est, ubi nullum *Jus* est, cujus auctoritate adstringamur.

§. 12. Unde priusquam ad *Causas propinquas* accedamus de *Jure*, cujus necessitate adstringimur, priori loco videndum est.

§. 13. Quod vel *Divinum* est vel *Humanum*; *Divinum* iterum vel *Innatum* seu cordibus hominum insitum, (quod *Naturale* dici solet) vel *Revelatum*.

## C A P. II.

§. 1. **J**US *Divinum Innatum*, seu *Naturale* (quod hoc loco latius, ut & *Jus Gentium* comprehendat, accipiendum v. l. 84. §. 1. de R. J. §. 11. l. de rer. div.) quod attinet, *Obligatio* ex eo nascitur, ad omnia ea quæ recta ratio dicitur facienda, & quæ prohibet omittenda.

§. 2. Quod *Jus*, & *Obligationem* ex eo fluentem quicumque Deum agnoscunt (omnes autem agnoscunt qui recta ratione utuntur) negare nequeunt.

§. 3. Quod ut eo magis appareat, ipse *Homo*, qualis a Deo creatus est, paulo accuratius considerandus est.

§. 4. Creatus autem est *Homo*, non ut cætera animalia solo corpore prædita, sed quo à bestiis maxime differt *Recta ratione* præditus est. De quo egregie *Cic. lib. 2. de Fin. §. 45. Homines etsi multis aliis, tamen hoc uno à bestiis plurimum differunt, quod Rationem habent à Natura, mentemque datam & acrem & vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, & ut ita dicam, sagacem, quæ & causas rerum & consec-*

## DE CAUSIS OBLIGATION.

*secutiones videat & similitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum presentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ consequentis statum. Nec non Lib. 5. de fin. §. 59. Natura talem dedit mentem, quæ omnem virtutem accipere posset, ingenuitque sine Doctrina notitias parvas rerum maximarum, & quasi instituit docere, & induxit in ea, quæ inerant tanquam elementa virtutis.*

§. 5. Ut adeo Homo principia habeat & notiones, ceu semina quædam, ad intelligendum habiles, tantæque certitudinis & veritatis, ut licet quis omni Principiorum cognitione se vellet exuere, quædam tamen mansura sint, quæ nullo modo negari possint.

§. 6. Cum itaque Homo Deum Ens esse perfectissimum cogitat, seseque ab eo dependentem percipit, non potest non simul intelligere DEUM summum omnium rerum Moderatorem esse, Legislatorem atque Arbitrum. Cujus voluntati ceu Legi parendum sit, quique homines creaturas suas & subditos, ad istam observandam, pro summo suo imperio, adstrictos habeat.

§. 7. Quæcunque proinde Homo ex innatis sibi principiis, DEO placere vel displicere percipit, ad ea vel facienda vel non facienda sese obligatum esse, per necessariam consequentiam simul intelligit.

§. 8. Docet hoc apertissimè Conscientia, cujus tanta in utramque partem vis est & efficacia, (uti egregie inquit Cic. pro Milon. §. 61.) *ut neque timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent qui peccaverint.* Eleganter Ovid. Lib. 1. *Fa-*

Con-

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra  
Pectora, pro facto spemque metumque suo?*

Ejusque tener usque adeo in animis etiam improborum sensus est, ut celare nequeant, convictos sese esse, in *Legem Naturæ* peccando, illum offendi cui in animos hominum imperium est, qui metuendus sit etiam ubi ab hominibus metus non impendat. Quo pertinet istud *Juvenalis Satyr. 13.*

*Conscia facti*

*Mens habet attonitos, & surdo verberare cedit.  
Occultum quatiente animo tortore flagellum;  
Pæna autem vehemens, ac multo sevirior illis  
Quas & Cæditius gravis invenit & Rhadamantus,  
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

§. 9. Quæ egregie confirmat *Paulus Apostolus* in *Ep. ad Rom. cap. 2. v. 14. & 15.* ἴταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τῆ νόμου ποιῆ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος. Οἷτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τῆ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, σομμαρτυρῶσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων i. e. *Cum enim gentes quæ legem non habent natura ea quæ legis sunt faciant: Hi legem non habentes sibi ipsi sunt Lex: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium ipsis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.*

§. 10. *Ex quibus Oligatio Juris Naturalis qua Homo DEO ad reverentiam cultumque, nec non omnimodam obedientiam adstrictus est, aperta est.*

§. 11. *Ex eodem fonte Obligatio fluit erga Proximum, qua Homo Hæritini ad omnia ea, quæ ad foci-*

*cie.*

cietatem humanam servandam pertinent facienda, ea vero, quæ societatem humanam turbant, aut evertunt, omittenda, obstringitur.

§. 12. Quod vinculum similiter non difficulter intelligitur, si consideretur Humanæ naturæ non tantum dignitatem & præstantiam exigere, ut ad certam normam hominum actiones dirigantur; sed & eam Hominum conditionem esse, ut extra societatem, tum propter aliorum pravitatem, tum propter humanam imbecillitatem, feliciter vitam agere non liceat.

§. 13. Quod enim Homo non miserrimam vitam inter alia animantia degit, à conjunctione & societate sui similium habet. Societas autem inter homines, sine lege, sine ordine, neque iniri, neque tranquilla & firma conservari, potest.

§. 14. Quæ quidem nulla alia, quippe inter æquales, quam *Naturalis* esse potest.

§. 15. DEUS enim cum naturam Hominis ita ordinarit, ut hic citra sociabilem vitam subsistere nequeat, eaque de causa animum ei indiderit notionum huic inservientiam capacem, intelligitur sane eundem voluisse, ut Homo actiones suas attemperet illi veluti indoli, quam vitæ hominum præ brutis peculiariter ipse assignasse cernitur.

§. 16. Cum autem non aliter quam observata *Lege Naturali* id obtineri possit, intelligitur quoque obligatus homo ad istam servandam, tanquam medium, non ex arbitrio hominum inventum, ex eorumve libidine mutabile, sed expresse ab ipso Creatore huic fini procurando constitutum.

§. 17. Qui enim alicui pro imperio injungit finem, censetur quoque eundem obligasse ad usurpanda

B

illa

illa media, sine quibus finis obtineri non potest. Sociabilem autem vitam pro Imperio mortalibus à Divino Numine injunctam esse, & ex antedictis & ex eo manifestum est, quod ea conditione jam præditum sit genus humanum, ut nisi hæc persuasio firma subsistat, saluum illud existere nequeat. Vid. *Puffend. d. Jur. Nat. & Gent. L. 2. c. 3. §. 20.*

§. 18. Quæ omnia magis erunt aperta, si simul per species consideremus ea, ad quæ Homines ex *Dictamine Rectæ Rationis* obligati sint.

§. 19. Et primum quidem omnium obligatum esse Hominem DEO Creatori suo ad Cultum, Reverentiam, omnimodamque obedientiam, ex dictis, facile intelligitur.

§. 20. Quam obligationem qui tollunt, Atheismi flagitio sese obstringunt. *Ambros. L. 1. Off. c. 26. Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus, eum Judicem futurum quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta deleant.*

§. 21. Ut merito notandus sit *Hobbes de Civ. c. 14. §. 19.* qui Atheismum inter peccata ignorantiae referendum statuit. *V. Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. 3. c. 14. §. 19.*

§. 22. Succedunt ea, ad quæ Homo obligatus est, tum ratione *Sui ipsius*, tum ratione *Proximi*.

§. 23. Ratione *Sui ipsius*, ad sese conservandum, Homo obligatus est. Eleganter *Cic. Lib. 1. de off. Principio generi animantium omni hoc à Natura tributum est, ut se vitam corpusque tueatur, declinetque ea quæ nocitura videantur, omniaque quæ ad vivendum sunt necessaria, inquirat & paret.*

§. 25.

§. 24. Ex quo fluit, neminem de sese ipso liberum disponendi jus habere, neque quemquam membrorum suorum esse Dominum. *v. l. 13. ff. ad L. Aquil.* Adeoque *αὐτοχειρίαν* aliaque in proprium corpus peccata, illicita esse *Jurique Naturali* contraria.

§. 25. Notissima in eam rem est sententia *Platonis* in *Phædone Ed. H. Steph. p. 62.* Christianis etiam scriptoribus laudata; *ὡς ἐν τινὶ Φεραῖ ἔσμεν οἱ ἄνθρωποι, καὶ εἰ δὲ εἰ αὐτὸν ἐκ τῆς λύειν εἰ δὲ ἀποδιδοῦσκειν i. e. in custodia quadam nos homines sumus, neque decet quenquam ex hac se ipsum solvere, aut aufugere.* Egregie *Lactant. Div. Inst. L. 3. c. 18.* *Si homicida nefarius est, quia hominis extinctor est, eidem sceleri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat. Imo vero majus esse id facinus existimandum est, cujus ultio Deo soli subjacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus; ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu nobis recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat e-mitti.*

§. 26. Huc pertinet *Defensio sui ipsius contra vim injustam*; quam non tantum omni jure licitam *l. 3. ff. de I. & I. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* sed & necessariam censemus, adeo quidem, ut si quis in periculo sit constitutus, neque aliter, quam injustum invasorum interficiendo, evadere possit, ad defensionem hanc cum nece alterius obligatus sit, neque se ab invasore occidi permittere posse videatur.

§. 27. Ratione *Proximi*, primum videtur occupare locum *Obligatio*, qua parentes ad amandos educandosque liberos obstricti sunt. Dum enim Parentes li-



beros generant proprio se facto obstrinxisse videntur, se quantum possibile est, operam duros ut vita quam dederunt conservetur. Hinc *Cic. de Fin. L. 3. §. 62.* Neque enim congruere hæc inter se possunt, ut natura & procreari vellet & diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturæ inspicere potest, quarum in fœtu & educatione laborem cum cernimus, Naturæ ipsius vocem audire videmur. Quare ut perspicuum est, natura nos à dolore abhorrere, sic apparet à Natura ipsa impelli, ut quos genuerimus amemus. Nec non *Lib. 1. de off. §. 12.* Natura imprimis percipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt, ingenerat: impellitque ut hominum cætus & celebrari inter se, & obiri velit: obeasque causas studeat parare ea quæ ad cultum & ad victum suppeditent, non sibi soli, sed conjugii liberisque quos charos habet & tueri debet. *Add. l. ult. §. 5. ff. de bon. quæ lib.*

§. 28. Ut merito damnanda sit impia *Hobbesii* sententia, dum *Tr. de Civ. c. 9. §. 2.* statuit partum nasci in potestate matris, eamque hunc educare vel exponere suo arbitrio & jure posse.

§. 29. Sequitur *Obligatio ratione aliorum*, quæ in genere requirit ut commoda aliorum, quantum sine suo incommodo fieri possit, promoveantur, *v. l. 25. §. in f. ff. de aq. pluv. arc.* & contra nemo innocens lædatur. Hinc iterum *Cic. lib. 2. de fin. Legibus populorum constitutum est, ut non liceret sui commodi causa nocere alteri; atque hoc multo magis exigit Naturæ ratio, quæ & Lex Divina & humana cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum Naturam volent vivere) nunquam committet, ut alienum appetat, id quod alteri detraxerit sibi assumat.*

§. 30:

§. 30. Huc pertinet *Obligatio ad fidem datam servandam* non tantum amicis, sed & hostibus, imo piratis atque prædonibus, multoque magis hæreticis. Nihil enim tam grave est, quam fidem fallere. l. 1. ff. de pec. const. add. l. 1. ff. de pact. Eleganter Seneca. *Etiam hosti æquus est qui habet in consilio fidem, fidem qui perdit, nihil ultra potest perdere.* Nec non Aristot. 1. Rhetor. c. 15. ἀκέρων γιγνομένων συνθηκῶν, ἀνήρηται ἢ πρὸς ἀλλήλους χρεῖα τῶν ἀνθρώπων i. e. *sublatis pactis, tollitur inter se usus hominum.* Quod animo suo reputans Numa Pompilius *Fidei* inter cætera Numina Templum sacravit teste Dionys. Halic. lib. 2. c. 77. Quo magis (ita habet Versio Sylburgii) eam scil. *Fidem* commendaret, omnium studiis divinos illi honores deferendos consult. *Iustitiam* & *Themis* & *Nemesin* quæque à Græcis *Erynnyes* appellantur, satis cultus & venerationis apud majores consecutos putavit, *Fidem* autem, qua nullus apud Mortales major aut sanctior est affectus, nondum dignam venerationem adeptam esse, vel in publicis civitatum rebus vel privatis. Hoc cogitans, primus omnium hominum, *Fidei* publicæ templum sacravit, assignatis ex *Ærario* sacrificiis, quemadmodum *Diis* cæteris.

§. 31. Huc etiam pertinet, *Obligatio ad Gratitude*. Unde Senec. Lib. 4. de benef. c. 16. in f. c. 17. *Quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam?* Huic uni rei (gratitudini scil.) non posuimus *Legem*, tanquam satis *Natura* cavisset.

§. 32. Quod tamen non ita accipiendum, quasi vi hujus *Obligationis* tantundem præcise reddendum sit, quantum forte acceptum est. Quocunque enim modo

gratitudinem præstitisse satis est, ut & conatus sæpe-  
numero sufficiat. Unde *Ovid. Lib. 4. de Ponto.*  
*Eleg. 8.*

*Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde  
est,*

*Et finem, pietas contigit illa, suum.*

## C A P. III.

§. 1. **S**ed hæc de obligatione *Juris Divini Innati*  
seu *Naturalis* monuisse sufficiat.

§. 2. *Jus Divinum Revelatum* dividi solet in *Mo-  
rale, Ceremoniale, & Forense.*

§. 3. *Jus Divinum Morale* est, quod ad regimen  
morum spectat, præcipiens facienda & prohibens  
contraria; & in præceptis *Decalogi* proponitur.

§. 4. Inter quod & *Jus Divinum Innatum* seu *Na-  
turale* illud solum interest, quod *Jus Naturale* cor-  
dibus hominum sit insitum, *Jus Divinum Morale*  
vero in Monte Sinai à Deo O. M. expresse sit promul-  
gatum.

§. 5. *Jus Ceremoniale* est *Jus Divinum* scriptum de  
Ceremoniis, circa cultum Divinum vel propter signi-  
ficationem typicam seu mysticam, vel propter ordinem  
ecclesiasticum, à populo Judaico, observandis;

§. 6. Quod uti ante Christi servatoris nostri adven-  
tum Populum Judaicum obligabat, ita cum Christo  
cruci affixum, adeoque sublatum est. v. *Ep. ad Coloss. 2.*

¶ 14.

§. 7. *Jus Forense* est, quod pertinet ad gubernatio-  
nem Populi Judaici Politicam, continetque præcepta  
de defensione disciplinæ in civilibus & criminalibus; Ut

in

in contractibus, dominiorum distinctionibus, hereditatum divisionibus, judiciis, officiis Magistratum, pœnisque.

§. 8. Quod cum ad statum Reip. Judaicæ Politicum maxime pertineat, alios non obligat; Imo cum Resp. Judæorum jamdudum extincta sit, ne quidem quantum ad eos attinet, nunc amplius locum habet.

§. 9. In quantum tamen ad explicationem & tuitionem Decalogi pertinet, etiamnum non Judæos tantum, sed omnes homines obligare videtur.

§. 10. Unde neque à pœnis in delicta contra præcepta Decalogi commissa, cum ipse Deus O. M. summus Legislator delictorum prudentissimus sit æstimator, facile recedendum est.

## C A P. IV.

§. 1. Sequitur *Jus Civile*, quod quisque Populus sibi sibi proprium constituit.

§. 2. Ex quo *Obligatio* nascitur, qua subditi in unaquaque Rep. ad scientiam *l. 12. C. de jur. & fact. ign. l. 9. C. de ll. & obedientiam l. 7. ff. de ll. etiam in Conscientia v. Ep. ad Rom. 13. vs. 1. 1 Petr. 2. vs. 13. adstricti sunt.*

§. 3. Cum vero *Jus Civile Romanorum* ex præceptis fere *Naturalibus* sit collectum, & cum *Jure Divino* bene concordet, (quapropter & in plerisque Europæ Regionibus usu receptum est) De *Jure Civili Romanorum* paulo plenius videndum est.

§. 4. Secundum quod *Obligatio* non male dividitur in *Mere Naturalem*, *Mere Civilem* & *Mixtam*.

§. 5. Licet enim hæc totidem verbis in Legibus nostris

stris non occurrant, rem ipsam tamen inveniri sufficit.

§ 6. *Obligatio Mere Naturalis est vinculum aequitatis, quo ita adstringimur ad dandum aliquid vel faciendum, ut nulla eo nomine Jure nostro sit Actio.* v. l. 95. §. 4. ff. de salut. l. 84. §. 1. ff. de R. J.

§ 7. *Eaque subdividitur in Efficacem seu Pleniorum, & Inefficacem seu Minus plenam.*

§ 8. *Inefficax seu Minus plena est, quæ Juris Civilis auxilio destituitur.*

§ 9. *Talis est 1. Obligatio ad invidopæ & gratitudinem. Quam Naturalem esse supra vidimus, & in jure nostro aperte traditum est. Ulp. in l. 25. §. 11. de hered. pet. Nec si donaverint, locupletiores facti videbuntur, quamvis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligaverint. Gai. in l. 54. §. 1. ff. de furt. Eum qui quid utendum accepit, ipse alii commodaverit, furti obligari responsum est. Ex quo satis apparet, furtum fieri, etsi quis usum alienæ rei in suum lucrum convertat: Nec movere quem debet, quasi nihil lucri sui gratia faciat, species enim lucri est ex alieno largiri, & beneficii debitorem facere.*

§ 10. *Sed nulla ejus nomine neque Actio datur, neque alius effectus. Eo tantum excepto, quod si donatarius ingratus sit, donatori ob v. causas in l. ult. C. de revoc. don. memoratas, donationem revocare concessum sit. d. l. ult. §. 2. f. de dou. in f. Nec non, quod libertus operas officiales, quas vi gratitudinis naturaliter debet, Jure nostro tamen si præmissæ non sint indebitas, solutas repetere nequeat. l. 26. §. 12. ff. de condict. indeb.*

§ 11. 2. *Obligatio quæ oritur ex Testamento minus solemnî,*

*solemni*; Quod heredem ab intestato ad relicta præstanda naturaliter obstringere videtur. arg. l. 32. C. de fideic. l. 2. C. eod. l. 38. ff. ad SC. Treb. §. 40. I. de R. D. Præclare Plin. Lib. 4. Ep. 10. Confido accessurum te sententiæ meæ, cum religiosissime soleas custodire defunctorum voluntatem, quam bonis hæredibus intellexisse pro jure est.

§. 12. 3. Quæ huic similis est *Obligatio ad integra legata præstanda*. arg. dd. ll. add. l. 1. f. l. ult. C. ad L. Falcid.

§. 13. Quæ omni omnino *Juris civilis* auxilio destituuntur, ut & id, quod eo nomine per ignorantiam facti solutum est, repeti possit. l. 7. C. de condict. indeb. l. 9. C. ad L. Falcid.

§. 14. 4. *Obligatio pupilli pubertati proximi*. Cum enim doli capax sit, adeoque delinquere possit. l. iii. pr. de R. J. §. 18. J. de Obl. quæ ex delict. naturaliter etiam eum obligari posse facile intelligitur. v. l. 1. ff. de nov. inf. §. 3. J. quib. mod. toll. obl. l. 25. §. 1. ff. quand. dies Legat. ced.

§. 15. Sed omnes effectus qui quidem pupillo nocere possunt, huic *Obligationi Jure nostro* detrahuntur; Unde & in legibus ne quidem *jure naturali obligari* l. 41. ff. de condict. indeb. neque *natura debere* l. 59. ff. de O. & ff. simpliciter dicitur.

§. 16. Per quas ll. male intellectas, quidam pupillum pubertati proximum naturaliter obligari non posse, male asserunt.

§. 17. Quantum tamen ad alios attinet, hæc *Obligatio* pupilli effectu non caret: Non tantum enim novari l. 1. ff. de nov. sed & fidejussor & pignus accedere potest. l. 127. ff. de V. O.

C

§. 18.

§. 18. 5. *Obligatio Prodigii*. Quæ adeo Jure Civili non tenet, ut ne fidejussores quidem admittat, quasi nullum negotium gestum sit. *l. 6. ff. de V. O.*

§. 19. Neque sibi ipsi contrarius est *Ulpianus JC.* in *l. 25. ff. de fidejuss.* Fidejussores enim ibi non obligantur tanquam *fidejussores* sed tanquam *promissores Principales ex sua promissione*; Nam cum ejusmodi obligationibus, quas sciunt Jure Civili non subsistere sponte accedunt, non tantum donare, sed ex sua persona obligari voluisse præsumuntur. *v. l. 2. C. de fidei. min. Bach. ad Tr. v. 2. D. 18. th. 3. l. b. Vin. ad § 1. I. de Fidei. n. 4.*

§. 20. 6. *Obligatio mulieris*, contra *SCtum Vellejanum*, pro alio *intercedentis*. Quam totam *SCtum* improbat *l. 16. §. 1. ff. ad SC. Vellej.* Ut neque fidejussor teneatur, *d. l. 16. §. 1.* neque pignus obligatum sit. *l. 2. ff. quæ res pign.* Ut etiam quicquid inde solutum sit repeti possit *l. 40. ff. de cond. ind.* Ubi rationem differentiæ quæ hac parte est inter *SCtum Vellejanum* & *Macedonianum* eleganter exponit *Marcianus JC.* Qui exceptionem (ait) perpetuam habet, solutum per errorem repetere potest. Sed hoc non est perpetuum. Nam siquidem ejus causa exceptio datur cum quo agitur, solutum repetere potest, ut accidit in *SCto de intercessionibus*; Ubi vero in odium ejus cui debetur exceptio datur, perperam solutum non repetitur, veluti si filiusfamilias contra *Macedonianum* mutuum pecuniam acceperit, & paterfamilias factus solverit, non repetit.

§. 21. 7. Huc denique pertinet *Obligatio* quæ oritur ex transactione, super alimentis testamentorelictis sine decreto *Prætoris* inita. Quæ Jure nostro similiter

im-

improbatur *l. 8. ff. de transact.* adeo, ut ex hac causa solutum, quasi indebitum, etiam repeti possit. Ulpianus in *l. 23. §. 2. ff. de cond. indeb.* Si ob transactionem alimentorum testamento relictorum daturus sit, apparet posse repeti quod datum est, quia transactio *§. C. de infirmatur.*

§. 22. Obligatio Naturalis Efficax seu Plenior est, quæ eisdem fere effectus habet, quos habet Obligatio Mixta, sola excepta actione quam non producit.

§. 23. Potest enim tale naturale debitum cum quovis alio compensari *l. 6. ff. de compens.* potest constitui *l. 1. §. pen. ff. de constit. pec. novari l. 1. inf. ff. de nov.* Possunt ei fidejussores & pignora accedere §. 1. *I. de fidejuss. l. 5. ff. de pign.* Non potest denique naturale debitum per errorem solutum repeti. *l. 10. ff. de O. & A. l. 19. ff. de condict. indeb. l. 3. §. 7. ff. quod quisque jur. in al. stat.*

§. 24. Talis maxime Obligatio est quæ ex sola conventionione seu nuda pacto nascitur, ex quo jure nostro Obligatio quidem oritur & exceptio, sed non etiam Actio. *l. 7. §. 5. l. 45. ff. de pact. l. 8. l. 15. de præscr. verb. l. 10. l. 21. l. 28. C. de pact.* Ut & in proverbium abierit, *Ex pacto actionem non nasci. d. l. 10. C. d. pact. l. 1. C. de pact. conv.*

§. 25. Licet enim Naturalis æquitas conventiones servandas esse jubeat, uti dictum suprac. 2. §. 30. *add. l. 7. §. 7. ff. de pact.* non tamen præcise exigit, ut indistincte actio locum habeat; Romani itaque qui in multis causis ad utilitatem Reip. Juri communi seu Gentium aliquid addiderunt vel detraxerunt, v. *l. 6. ff. de I. & I.* sive quod minus deliberatum crederent quod tam simpliciter & nude fieret, sive quod



innumeras lites ex vagis & promiscuis promissis metuerent, sive etiam forte quod honestius atque ad excitandum virtutis studium conducibilius existimarent, quædam relinquere hominum inter se spontaneæ fidei & probitati, quam omnia vinculis legum & necessitate adstringere, noluerunt ex omni nuda promissione actionem nasci: Certosque contractus & præprimis stipulationem constituerunt, quibus, si quis sibi serio aliquem obligare vellet, uti posset. v. *Bokelm. de Act. c. 3. p. 9. §. 5. Vin. ad §. ult. I. de obl. Struv. Exerc. I. C. 6. th. 7.*

§. 26. *Obligatio Mere Civilis est vinculum meri Juris Civilis, quo quis ita tenetur, ut summo jure in eum sit actio, sed talis, quæ Jure Prætorio per exceptionem infirmari possit. v. l. 3. §. 1. ff. de Const. pec. l. 112. ff. de R. J.*

§. 27. Talis est, si quis metu coactus, aut errore lapsus, aut dolo inductus aliquid promiserit. Talis est etiam *Obligatio*, si post constitutam obligationem debitor cum creditore pactus sit, ne petat. §. 1. *§. seqq. ff. de except.*

§. 28. Quam male aliqui ex numero *Obligationum* excludunt;

§. 29. Licet enim per exceptionem elidi possit, adeoque quantum ad effectum attinet, nihil intersit, sive quis actionem ex tali obligatione habeat, sive non habeat, *l. 112. ff. de R. J.* Non possunt tamen hæc locum habere, nisi exceptio allegetur in Judicio. Quæ si omittatur, & sententia sequatur, effectum non destituitur.

§. 30. *Obligatio Mixta est vinculum & æquitatis & Juris Civilis, quo quis ita adstringitur ut Actio in eum efficax detur. Quam describit Imp. in I. de Obl. dum ait,*

ait, *Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura.*

§. 31. Estque hæc vel *Vere talis*, vel *Præsumtive*: Qualis est *Obligatio* qua tenentur *Judicati*, *Confessi*, nec non *illi contra quos juratum est*. Quippe res *judicata* pro *veritate* accipitur *l. 16. ff. de re jud. l. 25. ff. de statu hom. l. 207. ff. de R. J.* *Confessi* in *jure* pro *judicatis* habentur *d. l. 56. l. 1. l. un. C. de confess.* & post *jusjurandum* non quæritur amplius an *debeatur*, sed an *juratum sit*. §. 11. *I. de Act.* Eiusdemque generis videtur *Obligatio Literarum*. §. un. *I. de lit. obl.*

§. 32. Licet non desint, qui *Obligationem mere Civilem* etiam in *Efficacem* & *Inefficacem* dividendam, dictasque species ad *Obligationem mere Civilem Efficacem* referendas statuunt.

§. 33. Cum vero *Jus Civile* vel sit *Civile in specie*, vel *Prætorium*, *l. 7. pr. §. 1. ff. de I. & I.* *Obligationes mixtæ* in *Civiles* & *Prætorias* subdividi possint. v. §. 1. *I. de Obl.*

§. 34. Et hæc quidem de *Causa Obligationum Remota*, pro *Ratione* instituti nostri, sufficiant. *Causæ Propinquæ* sunt *Contractus*, *Quasi contractus*, *Delictum*, *Quasi delictum*, nec non *Variæ causarum figuræ*. §. ult. *I. de Obl. l. 1. ff. de O. & A.* de quibus porro pluribus agendum.

## COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

*Quod metu gestum est, non est ipso jure nullum, sed est rescindendum.*

II.

*A sententia arbitrorum compromissariorum appellari nequit.*

III.

*Mulier vitiata ab alio, pro virgine ducta, repudiari potest.*

IV.

*Mulier ratione dotis præfertur omnibus mariti creditoribus, etiam anteriorem expressam hypothecam habentibus.*

V.

*Mandator vulneris, qui eadem expresse prohibuit, non tenetur de eade.*

VI.

*Duella omni jure sunt illicita.*

F I N I S.

PLIGTVOLDAAN

A A N

de Geleerde, Volgeestige Jongeling,  
de Heer

MELCH. WILHEM van GRIETHUYSEN.

Als Hy, *de Causis Obligationum*,

met groot Lof,

Twist-reden voerde in de hooge *Schoole tot  
Harderwijk.*

M Yn *Sangheldin* wel eer vernibbelt op gefangen,  
Had al voor langen tijd d'ontsnaarde *Lier* gehangen  
Aan dorre wilgen van vergetelheyd: en zy,  
Die eertijds sig verheugd in d'Ed'le *Poëzy*,  
Dat duurzaam *Sont* van *Rijm* om d'Ewen te vervaren,  
En onse namen voor't versterven te bewaren,  
Sat stom, en't hemelsvuur, dat all' de wareld kust  
Met eerbied, viert en lieft, was doof, was uytgebluft.  
Maar nu herleeft dat vuur van yver, om te singen  
Den Lof van *Melchior*, het *pyk* der *Jongelingen*,  
Die *Themis* volgen, en bewand'len 't pad der deugd,  
Die altijd jeugdig, fris hem 't Edel hert verheugt.  
En nu, wat of ik best tot lof sijns naams vervaerdig?  
Een *Mantuaanse Swaan* was eer dien arbeyd waardig,  
Doch ik verlegene schep leven uyt sijn ligt  
In d'onvermogenheyd van mijn bekrompen digt.  
Ik volg hem, daar hy treedt met *Westenberg*, die *Starre*,  
Die *Vuur-baak*, om de nagt van 't *roomsse Regt* t'ontwarren,  
De broey der donkerheyd t'herfcheppen in een ligt,  
Dat all' de nevels vaagt van 's *Keyfers* aangesigt.  
U volg ik *Melchior*, daar *Westenberg* ter *Zale*  
Der wysheyd, als een *Son*, verspreyende de stralen  
Van sijn Vernuft en Geest, voert d' *oorsaek* aen den dach  
Van 's *Regts verbintenis*, die eerst verborgen lag  
In 't duyft're *wet-boek*, nu soo helder voor ons oogen,

Als

Als waar't een *Diamant* uyt's aardrijks schoot getoogen  
 Der donk're *Mijn-groef*, en gekaft in gloeyend gout.  
 Wie word't beweerden van dees' stelling toevertrouwt?  
 Aan *Melchior* begaaft met rijp verstandt, met sinnen  
 Door neerstigheyd gescherpt, gereed om t'overwinnen,  
 Die met sijn tegen-lpraak sig wapent als een man,  
 En gort sijn lendenen een riem van kragten a'n,  
 Om dese stelling van de grondslag te verstooren,  
 En sulck een waarheyd in haar daagraad te versmooren.  
 Soo doet gy, *Melchior*, nu gy gewapent staat  
 Met kragt van wetten, en't geweldt ter nederstaat,  
 Dat oprijft om't gebouw uws *Meefters* te bestormen,  
 En't *regt* door redens schijn in *enregt* te hervormen.  
 Soo vlegt gy om uw hoofd tot eygen lof, een *krans*,  
 Die ewig bloeyen sal in onverwelkb're Glans.  
 Soo kan ook *Westenberg* een naam met u behalen,  
 Die doordringt, en sig met geen Verheyd laat bepalen.  
 U groet ik, *Westenberg* als't blinkenste gestarnt,  
 Dat door de duyfterheyd der wetten hencbarnt,  
 Vol eerbied: *Melchior* geeft preuven, dat sijn'ooren  
 Uw dest'ge Leeringen niet in't voorbygaan hooren.  
 Wie leest niet uyt de klem sijns weertpraaks, dat sijn'geest  
 Van u beschaaft, van u gevormt is op de leest  
 Van uw geleertheyd? Weest gy voorts sijn onderwyser,  
 Spreyd ed'le Saden in sijn boesem, met het yser  
 Uws voorbeelds tot de deugd hem prikk'lend, dat hy't *steyl*  
 Van *wijsheyds Tempel* mag beklimmen vranc en veyl?  
 En voeg hem endelik, o! roem der *Professoren*,  
 Gelyk een *Kast-gesteent* in d' *eerkroon* der *Doctoren*?  
 Verschoon my mijns gedigts, wijl des *verbintenis*,  
 Die my aan u verknogt, geen ander *oorzaak* is,  
 Als uwe heusheyd: die, die dwong m' u dus t'ontmoeten,  
 U en uw *Meefters* op soo laagen toon te groeten:  
 Maar 'k ben versékert, dat om my, die gy bemint,  
 Mijn heesse *SangHeldin* by u verschooning vindt.

ita hocce carminis mei *ferto*, doctissimum Dominum defen-  
 dentem amicum desideratissimum, vel ipsa lubente lubentia,  
 meoq; lubentius, maclare volui

JEREM. HENR. STOLTZ. J. U. D.



Als waar't een *Diamant* merke kenmerk

